

*impetrare non potui, ut crederem, jure civili propter dolum, siue dantem causam negotio, siue incidentem, contractum ipso jure nullum esse. De hac sententia postea videbimus, ubi de dolo causam dante agemus. Ex diuerso Dn. Noodt sustinet, contractum b. f. semper nullum esse, siue dolus inciderit, siue ei causam dederit.*

§. XVI.

Dictam distinctionem illecebrem vocat Dn. Noodt *d. l. c. 4.* eamque tam oneri jurisprudentiæ esse dicit, quam excellentibus ingenijs usque adhuc per plura secula illudit. Subjungit in *l. 7. de dolo mal.* caput ac fontem esse, ex quo distinctio profluxerit, & hanc legem propterea ita explicandam esse existimat, ne ipsius hypothese obstare videatur, Lapis, ad quem offenditur, habetur in verbis, quæ in §. XIV. primo loco adduximus, *aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet, circumscriptus est.* Vir celeberrimus obseruat, particulam *aut* in editione Florentina inter duas stellas hoc modo \* *aut* \* positam esse, eandem tamen tueri veterem librum manuscriptum, quem Dn. Cornelius van Bynckershoeck cum ipso communicauerit, eandem quoque reperiri in rarioribus ff. editionibus Hugonis a Porta, Blaublommii, Vintimillii, &c. imo etiam in libris basilicorum *l. 10. tit. 3. p. 599. tom. 1.* Suspiciatur, ægrum esse hunc Ulpiani locum, eumque ita recreandum, ut verba illa: *aut nullam esse -- circumscriptus est,* plane deleantur, ex ratione, quod non sint Ulpiani, quia turbant ejus sensum tam manifestum, quam optimum, quod in subsequentiis fusius probare conatur. Concludit deinde, verba sæpe adducta ab aliquo ab initio ad  
mar-